



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

60. An si quis dicat alicui, tecum pugnabo prima vice, qua tibi per Urbem
obviam ero, incidat in pœnas Duelli? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. res. 59.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Consequens autem est plus quam falsum, ergo & illud, ex quo sequitur. Probo sequelam. Nam si quis per vim privata autoritate me coniceret in carcerem, aut acciperet bona mea, licite possem illum interficere in meam defensionem, & secundum Cajetanum tunc infer vim accusator. Hactenus Petrus de Afagon.

2. Verum his non obstantibus sententiam affirmativam tuetur Sanch. in *summ. t. 1. lib. 2. c. 39. n. 7.* & Bannez in 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 4. qui non solum loquitur de acceptatione certaminis; sed etiam de provocacione. Et idem etiam docet Cajet. in 2. 2. q. 25. art. 8. ad 3. & in *summ. ver. duellum*, quibus adde Hurtadum de Mendoza in 2. 2. disp. 70. sect. 3. §. 70. Probatur hæc opinio, quia talis acceptatio non est duellum, sed iusta defensio, cum enim licitum sit occidere injustum directorem bonorum, quando alia ratione quis non potest ea defendere, ita in nostro casu acceptatio certaminis est medium necessarium ad defensionem bonorum ab injusta direptione: ergo licita erit ea acceptatio, dummodo provocator injuste me accusavit, & non bona fide, & pramonitus fuit, ut respiscat, si est locus pramonitionibus, ut frequenter est in via juridica.

3. Notandum est etiam hic cum Hurtado ubi supra §. 77. quod quæ dicta sunt de acceptatione certaminis purgativi, habere vim eandem in certamine non purgativo, v. g. Antonius me vult occidere domi, si ego ibi eum possum occidere, non possum acceptate certamen, quia interficere aggressorem injustum, quando actu mihi physice mortem intonat, magis consentaneum est iuri naturali & Ecclesiastico, quam in campum exire ad pugnandum. Si vero ego cum non possem domi occidere, vel quia ille cum comitibus armatis, vel quacunque alia ratione me impedit, me tamen invitat ad singulare certamen, me occisurus, nisi illud acceptem, vel me bonis spoliaturus possum illud acceptare; hoc enim non est duellum, sed opportunitatem querere, me, & mea iuste defendendi ab injusta vi. Mihi enim jus est me tuendi, etiam per necem inimici, quod si hoc in loco possum, cur non potero locum alium querere? Certè non video, non vel probabile vestigium ad dubitandum. Nam si domi me ille compelleret, ut cum illo pugnarem, alioquin periturus, possem pugnare, ergo etiam possum acceptare locum, quem ille mihi offert quando alia ratione non possum necem effugere, aut bona tueri.

4. Nota etiam quod licet non possit acceptari duellum honoris causa, tamen licita erit acceptatio certaminis, ne amittantur honores & munera publica. Dico igitur in tali casu offerente accusatore duellum purgativum, posse licite acceptari, quando acceptatio est unice necessaria ad dicta bona conservanda, quod probatur aperte, quia v. g. ad conservandam nobilitatem, & munera publica, est medium unice necessarium acceptatio pugnae, ergo est licita. Probo consequentiam, quia tunc est inculpata defensio bonorum, proportionatorum damno inferendo criminatori. Antecedens probo, quia criminator mihi crimen objicit dignum amissione nobilitatis, & munerum, cujus ego innocens sum, & alter objicit illud mala fide, quod crimen censetur esse probatum, recusato à me certamine: hæc enim est hujus duelli natura, de quo agimus. Antecedens probo, quia coniectus sum ego in angustias, ut vel mihi pugnandum sit cum criminatore injusto, vel amissurus sum nobilitatem, & munera; ergo tunc subire certamen est unice necessarium ad tuendam nobilitatem. Ita Hurtadus loco citato, §. 76. quæ omnia à fortiori procedunt in casu vitandæ mortis injuste co pacto, quo explicat idem Hurtadus sect. 7. §. 16. & seq.

5. Sed maxima difficultas est, an innocens possit criminatori offerre singularem certamen, quando alia ratione non potest se, suaque tueri? & affirmative respondet Hurtad. de Mendoza in 2. 2. disp. 170. sect. 9. §. 82. ubi sic ait: Licitum est offerre certamen ei, qui mihi molitur jam mortem injustam, v. g. Antonius mihi falsum crimen objicit, neque habeo probabilem spem illum destitutum à carceris diligen-
tiis, sed potius timorem moraliter certam ad illas ab eo adhibendas, item expectare, ut me ille provocet est mihi multo periculosius, nec possum aliter certam mortem effugere. In hoc casu dico licitam esse provocacionem; & ratio est, quia talis accusator infer mihi vim, in qua est actu; sed provocatio ad certamen est medium unicum ad effugiendam mortem injustam, ergo provocatio habet rationem inculpate tutellæ. Confirmatur si quis me vellet domi occidere, in qua ego minime possem me commode tueri, possem tamen alio in loco, possem ego licite illi dicere, ne me peteret domi sed ut egrederetur in locum ampliore, ubi utriusque vires essent aperiiores. In hoc enim nulla cernitur ratio peccati, quia si ego possum alium impetere gladio ad tuendam vitam, cur non potero eligere alium locum mihi necessarium ad eandem defensionem? sed eadem ratio est in casu nostro, ergo. Minor probatur, quia qui mihi vim injustam infer per alios in prudente estimatione & moraliter perinde est, ac si per se ipsum illam inferret, quia per se ipsum multa facit injuste, propter quæ ego occidar injuste. Quid igitur interest me ab illo per proprio ipsius gladio, an gladio iudicis, aut servi, quibus ipse præcipit, aut consulit ut me occidant, aut ille, quod habet jus, ne ego illi linguam prædicam, quia me occidit potius, quam ne illi manum laeem, quæ & cædit? Est igitur eadem ratio in acceptando, & offerendo certamine, quando utrumque est simpliciter necessarium ad effugiendam mortem injustam. Et ita hanc sententiam à fortiori præter Hurtadum docet cum Cajetano Bñez in 2. 2. q. 62. art. 7. dub. 4. concl. 2. & Sanchez in *summ. tom. 1. lib. 1. cap. 39. num. 7.* cum Petro Navarra asserentibus licitum esse talem accusatorem occidi occulte.

6. Nec valet dicere, quod qui provocat accusatorem injustum, est causa ut accusator peccet acceptatione duelli. Nam respondeo hanc difficultatem esse communem omni militi iuste præstanti, cui non liceret hosti prælium offerre, quod nullus dicit. Vtriusque ratio est, quia qui iustam causam defendit, supponit inimicum esse in actuali peccato homicidij, neque illum invitat ad amandum de novo aliquod objectum malum. Item illum non invitat simpliciter ad pugnam, sed sub conditione, id est si adhuc perseveras in voluntate me occidendi, te provococo; si vero desistere vis ab homicidio, ego quoque à certamine desisto.

7. Sed circa præsentem questionem, & omnia supradicta, præter citatos Doctores recognosce etiam Castrum Palaum t. 1. tr. 6. disp. 5. punct. 7. n. 1. & seq. Coninch de fide disp. 32. dub. 2. n. 17. Molina de iust. tr. 3. disp. 17. n. 7. Navarrum de rest. lib. 2. cap. 3. n. 289. Valentiam tom. 3. disp. 3. quest. 17. punct. 1. & alios penes ipsos, quibus novissime adde Andreæ Durandum in 2. 2. D. Thom. de charitate q. 17. art. 1.

RESOL. LX.

An, si quis dicat alicui, tecum pugnabo prima vice, qui tibi per urbem obviam ero, incidat in peram Duelli?
Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Resol. 59.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Bonacina de Supplicio censuris disp. 2. quest. 6. punct. 1. num. 7. ubi sic in res. air:

ait. Item valet dum quis alterum ad pugnam pravo-
cat, cum prima vice sibi occurrerit in arbe, adest
enim assignatio loci, & temporis illius, scilicet quo
sele obviā habuerint. Ita ille.

2. Sed mihi contraria sententia magis placet, quam
ego olim practicavi, & postea inveni illam docere
Jacobum Mancinum in *practica visitandi infirmos*,
pract. 4. num. 16. dub. 9. Nam tota urbs non est propria
loci assignatio, quia locus non est certus. Nec est
propria assignatio temporis, cum sele obviā ha-
buerint nam cum tempus sit etiam incertum, non
potest dici assignatio temporis, & in definitione
duelli requiruntur necessarii hæc due conditiones;
ita ut altera illarum deficiente, non erit duellum, ut
inquit ipsemet Bonacina, qui in hoc videtur sibi
adversari, & ita sensisse viros doctos a se consultos
testatur Mancinus ubi *supra*.

RESOL. LXI.

In Belgio quis aspexit duellum nesciens esse prohibitum
in Bullis Pontificiis sub pena excommunicatio-
nis, quæsit a me per literas, an in illam inci-
derit? Ex part. 11. tract. 6. & Misc. 6. Re-
sol. 27.

§.1. **E**T respondi negativè, ac induxi in terminis
Andream Duvalium in 2. 2. D. Thom. tract.
de Duello, quest. 17. circa finem, ubi sic asserit postre-
ma pena est eorum, qui consilium pugnandi in duel-
lo dederunt, aut qui ex composito se spectatores
præbuerunt; hi enim sunt similiter excommunicati,
cummodò sciverint istud esse ab Ecclesia prohibi-
tum; nam si nescierint, essentque comparati, si
sciverint ipsos pugnantes non aspicere, penam hanc
excommunicationis, & alias non incurrerent; cum
sic non fuerint contumaces; contumacia autem ad
excommunicationem incurrendam, ut supponimus,
est necessaria. Ita Duvallius.

2. Probatur hæc opinio ex celebri, & nunquam
obliviscenda doctrina, quam alibi ego adduxi, &
quam me citato docet novissimè Martinus de San-
toseph in *Regul. Sancti Francisci*, cap. 16. num. 41. sic
asserens: Adviertase aqui una cosa de mucho con-
fuso, y es, que no basta que la obra que uno haze,
sepa que està prohibida, y es pecaminosa: si ignora
que ultra de esto estan impuestas a los que hazen,
penas de descomunion, suspension, ò inhabili-
dad para tener oficios, ò de privacion dellos, ò la
prohibicion de pedir el debito los casados incestuo-
sos, que si se ignoran estas penas, no se incurrer.
Sic Portel in *addit. ad dub. reg. l. verb. Ignorantia*, n. 21.
qui citat Navarrum, quibus adde Curiel in 1. 2.
quest. 76. art. 5. dub. 5. Valentiam *tom. 2. disp. 6. quest. 6.*
punti. 1. Henriquez *lib. 13. cap. 23. num. 2.* Suarez de
Censur. disp. 4. sect. 9. num. 19. Avilam de *Censur.* quos
citatur, & sequitur Diana 2. p. tract. 5. *Miscell. resol. 12.*
citatur, & porro algunos de estos Autores solamente hablan
de penas de censuras: sienten lo mismo de las demas penas.
Navarrus *cap. 23. num. 47. & cap. 27. num. 16. & n. 274.*
Philarchus de *officio Sacerdot.* tom. 1. part. 1. lib. 3.
cap. 4. §. 3. Manuel 1. *tom. sum. verb. ignorantia cap. 140.*
num. 15. & alij, & reputat probabile Suarez 5. *tom.*
in 3. p. disp. 4. sect. 9. num. 22. & Sanchez *lib. 9. de ma-*
trim. disp. 3. n. 21. & Diana 2. p. tract. 5. *Miscell.* citat
plurimos pro hac sententia. Y acerca de la pena
de puestas a los casados incestuosos, para que no puedan
pedir el debito matrimonial, tienen lo mismo Portel
ubi *supra*, Castrus Palaus, *tom. 1. tractat. 2. disput. 1.*
punti. 17. num. 8. Y lo que mas es, que aunque la
ignorancia destas penas sea vincible, y mortalmente

Tom. V.

culpable, como no sea crafia, escusa de las censuras y vide doctri-
penas, docent Portel in *addit. ad dub. reg. verb. igno-*
rancia, n. 25. Sanchez de *matrim. tom. 3. dub. 9. disp. 3. 2.*
num. 31. & citat Suarez, & exponit ignorantiam
vincibilem, & crassam. Hucusque Martinus de San-
toseph; qui paucis multa complectitur. Et ita hæc
sententiam me citato tenet etiam Thomas Hurtadus
tom. 1. tract. 4. cap. 8. resol. 46. num. 555. & resol. 61.
§. 1. numer. 814. & me citato Baunys in *Theolog.* hujus Res.
moral. tom. 2. tract. 8. quest. 18. & me citato Marcus
Vidal in *Arca Theolog. moral. tit. de censuris Inquis. 3.*
numero 113. & me citato Carolus Zambertus in *De-*
cisionibus Bononiensibus casuum conscientie mensis Se-
ptembris, cas. 2. anni 1640. Vide cap. *Vi anima-*
rum, de constit. in 6. & Innocentius Papa *Epist. 3. cap. 1.*
scribens Exuperio Tholosano, dicit, quod ignora-
bant Constitutionem Synodij Papæ ad Himerium
Tarrac. *Epist. 7. cap. 7.* qua suspendebat Clericos in-
continentes (utrumque refertur cap. *Propositi &*
cap. Plurimos 82. dist.) ne incurrerent præstatam pœ-
nam, quamvis non ignorarent prohibitam inconti-
nentiam jure naturali, & divino, quare solum erit
obnoxius pœnis latis jure divino, non verò latis
jure humano, quod ignorat, & sic ignorans legem,
& constitutionem qua imponitur pro aliquo delicto,
vel excommunicatio, vel irregularitas, aut suspen-
sio, has nullo modo incurrat. Itaque quamvis igno-
rantia sit vincibilis mortaliter, potest esse, & est sine
contumacia, quæ requiritur ad incurfionem censura-
rum etgo, &c.

RESOL. LXII.

An spectatores duelli incidant in excommunicatio-
nem?

Et in corpore hujus Resolutionis declaratur qui sunt, qui
ex justa causa interfunt duello, & non peccant, neque
excommunicantur, ut v. g. aliquis famulus, aut ami-
cus, Chirurgus, & Sacerdos suscepiurus confessionem
alicujus moribundi, &c. Ex part. 5. tract. 14. &
Misc. 2. Resol. 100.

§.1. **C**asus iste frequenter potest accidere, & Sup. h. &
ad illum Hurtadus sic respondet in 2. 2. aliquibus ex
tom. 2. disputat. 170. sect. 21. §. 179. Spectatores
duelli excommunicantur eodem loco Concilij, in Ref. 52. §.
quos intelligo primum, qui nulla justa occasione Dico quar-
interfunt, sed sola curiositate: qui autem justam
to, & in aliis
ejus not.
habent occasionem; ut non peccant, ita neque
excommunicantur; hujusmodi autem sunt Magi-
stratus privati, eorumque satellites, & familiares,
accepta enim à Principe facultate duellandi non
potest Magistratus duellum impedire; debet autem
providere, ne concitentur tumultus, aut duellatores
pugnent armis inæqualibus, aut alia injustitia
committatur. Item providere Sacerdotem, qui ex-
cipiat peccata alicujus moribundi, eandem ob cau-
sam potest Sacerdos adesse excepturus confessiones,
item adesse poterit aliquis famulus, aut amicus,
ut accersat Chirursum, aut Confessarium. Item
poterit aliquis famulus deferens arma heri, & equum,
quando id non potest omittere sine gravi incom-
modo. Idem si quis spectet duellum non in publico,
sed occultè, & per cancellos, aut ita distans, ut non
censeatur adesse præsens, non contrahit has penas,
quia Concilium præcisè vult avertere à spectanda
monomachia eos, qui ejus aspectu possunt eam fo-
vere, quod non contingit in hoc casu, sic notat Pa-
ter Lessius *lib. 4. cap. 4. dub. 9. num. 8.* Adde præterea
non contrahi has penas ab illis, qui fortè fortuna se
inveniunt

D 3